dominus dederat israeli subiectis in giro nacionibus uniuersis. & iosue iam longeuo & persenulus etatis. uocauit iosue omnem israelem. maioresque natu. et principes ac duces & magistros. dixitque ad eos.

C xxiiij

ego senui & progressioris etatis sum. uosque cernitis omnia que fecerit dominus deus uester cunctis per circuitum nationibus. quomodo pro uobis ipse pugnauerit. & nunc quia uobis sorte diuisit omnem terram ab orientali parte iordanis usque ad mare magnum. Multeque adhuc supersunt nationes. Dominus deus uester disperdet eas & auferet a facie uestra. & possidebitis terram sicut uobis pollicitus est. Tantum confortamini & estote solliciti ut custodiatis cuncta que scripta sunt in uolumine legis moisi & non declinetis ab eis nec ad dexteram nec ad sinistram. Ne postquam intraueritis ad gentes que inter uos future sunt iuretis in nomine deorum earum & seruiatis eis. & adoretis illos. sed adhereatis domino deo uestro sicut fecistis usque in diem hanc. & tunc auferet dominus deus de conspectu uestro gentes magnas & robustissimas. & nullus uobis resistere poterit. Unus e uobis persequetur hostium mille uiros. quia dominus deus uester pro uobis ipse pugnabit. sicut pollicitus est. Hoc tantum diligentissime prauete. ut diligatis dominum deum uestrum.

nec uos auferat atque disperdat de terra hac obtima quam tradidit uobis. En ego hodie ingrediar uiam uniuerse terre. & toto animo cognoscetis quod de omnibus uerbis que se dominus praestaturum nobis esse pollicitus est. unum non preterierit incassum. Sic ergo impleuit opere quod promisit. & prospera cuncta uenerunt. sic adducet super uos quicquid malorum comminatus est donec uos auferat atque disperdat de terra hac optima quam tradidit uobis. eo quod preterieritis pactum domini dei uestri quod pepigit uobcum. & seruieritis diis alienis & adoraueritis eos. cito atque uelociter exsurget in uos furor domini. & auferemini de terra hac obtima. quam tradidit uobis. XX I I I I

Congregauitque iosue omnes tribus israel in sichem. & uocauit maiores natu ac principes & iudices & magistros

steteruntque in conspectu domini. & ad populum sic locutus est. Hec dicit dominus deus israel. Trans fluuium habitauerunt patres uestri ab inicio. thare pater abraam. & nachor. seruierunt diis alienis. Tuli ergo patrem uestrum abraam de mesopotamie finibus & adduxi eum in terram chanaan. Multiplicauique semen eius. & dedi ei isaac. illique rursum dedi iacob & esau. e quibus esau dedi montem seir ad possidendum. iacob uero & filii eius descenderunt in egiptum. misique moise

2011 Ministerio de Cultura